
† **R. P. Franciscus Xav. Schneider (1874-1945)**

(Prov. Germ. Inf.)

Franciscus Schneider, statura pusillus, at ingenio ac virtute vere magnus. multorum coetaneorum iudicio ex illo « ligno » erat, unde Sanctorum Paradisi statuae exsculpuntur, et ob eam causam nonnulli eius epistulas ut « reliquias » conservant. Moderator Analectorum harum epistularum, tam clara firmaque scriptura a prima linea usque ad ultimam exaratarum, adhuc plures quam sexaginta possidet.

Ortus est carissimus confrater Aquisgrani 28 Oct. 1874 parentibus potius pauperibus, at optimis. Filius sacerdos in litteris 6 Oct. 1911

nobis descripsit sanctam mortem patris, et 31 Maii 1922 sanctum obitum matris. Utrique morti ipse ad fuerat. Unica soror ingressa est Institutum Lecdiense Filiarum Crucis.

Hand procul ab Aquisgrano, in Vaals, Provincia G. I. a. 1880 incepit suum iuvenatum, et Franciscus noster ibi admitti cupiebat, verum ad eius litteras petitorias P. Director Arenth ⁽¹⁾ iam negativum responsum scripserat (tunc ipsum quippe ingrata expertus erat a compluribus pueris Asquisgranensibus), cum extemplo, certe sub Numinis instinctu, mutavit consilium et novis exaratis litteris Franciscum inter iuvenistas recepit. Certe nunquam postea eum huius rei poenituit; nam in quodam folio ita de hoc alumno iudicat: « Schneider gradu eminenti possidet omnes qualitates adolescentulum pro nostro iuvenatu commendantes. Omni dubio procul postea ad multa destinabitur, cum revera prae ceteris ad multa idoneus sit. Est sollers, prudens, fidus, ingeniosus, sobrius, peritus. Multis praecellit, tamen cunctis gratus est. Conversari scit cum doctis et plebeiis. Scit prudenter interrogare et prudenter respondere... ».

Optimus iuvenista postea evasit optimus novitius, de quo Magister scribere potuit: « Fr. Schneider nulli vituperio unquam ansam dedit ».

Tres primos studentatus annos (1895-1898) Fr. Schneider cum paucis suae Provinciae clericis Pulchriugi transegit, et de eo eius condiscipulus P. Géron ⁽²⁾ postea hoc dedit iudicium grave: « P. Schneider utroque pede in terra fidei stat. Est unus ex nostris theologis maxime doctis. Pulchriugi inter sodales iam gaudebat quadam fama sanctitatis ».

Studiis Treviri absolutis (1901) itemque secundo novitiatu Luxemburgi, P. Schn. non destinatur, ut optaverat, missionali operae, sed magisterio qua Lector philosophiae. Inveni professori, omnis gradus academici experti, statim magnam auctoritatem conciliabat scientia profunda ac ferrea scholae disciplina, quamquam initio fortasse magis timebatur quam amabatur.

Severitatem illam, quam in se ipsum adhibebat, aliquatenus etiam in novitios ostendebat, quorum formatio annis 1907-1912 ei commissa est; nihilominus tantam sui sancti Magistri aestimationem habebant, ut plene ei confidere non cessarent. Quem finem hic animorum plasmator prae oculis habuerit, ipse in quadam epistula exprimit his verbis: « iuvenes suae curae commissos effingere Redemptoristas supernaturales, sibi emortuos, in Deo et ex Deo viventes ».

Sicut a. 1907 P. Schn., vix 33 annos natus, contra omnem suam expectationem renuntiatus fuerat Magister novitiorum, sic post quinquen-

⁽¹⁾ De eo vide *Analecta* XXII (1950), 103-108.

⁽²⁾ Eius necrologium habent *Analecta* XIV (1935), 126-129.

nium Superior totius Provinciae G. I. Per novem annos, ob primum magnum bellum peculiariter difficiles, etiam hoc grave munus abnegatione vere heroica explevit. Proprii commodi plane immemor, unice subditorum bonum quaerebat admirabili caritate. Quot horas quietis nocturnae dicavit commercio epistulari cum subditis tunc saepissime extra securam pacem claustris foris militantibus! Fidebat enim nimis suae optimaе valetudini. Etiam hiemali tempore sedebat sine « zimarra » in suo cubiculo frigidus; at quo die cum Consultoribus ibi consultabat, fornacem accendere non omittebat.

Huius sancti Superioris heroica sacrificia ac ferventes orationes certe bello finito magnam partem habuerunt in consecutione insignium beneficiorum Providentiae. Duae domus Wartha et Breslau, a Provincia Austriaca iam in Silesia Germanica fundatae, bello finito ob causas politicas evidentes Provinciae G. I. aggregatae sunt, germina futurae Vice-Provinciae de Breslau. — Auspice caelesti iuvenatus Patrono sancto Ioseph P. Schn. a. 1920 Bonnae ad Rhenum pretio relative modico, scilicet multa « charta », postea inflationis orco absumenda, acquirere potuit pretiosa bona immobilia, magnum scilicet epebeum *Sankt Joseph vor der Höhe* cum suis vastis fundis, quo mox iuvenatus ex Hollandiae finibus (Vaals) translatus est. — Ut Provinciae fines ad orientem versus dilataret, iam tempore belli P. Provincialis studuerat novam domum condere in Heiligenstadt, in Eichsfieldia catholica. Gubernium Borussicum quidem tunc licentiam denegavit, sed sub Republica Weimariana a. 1921 haec fundatio absque venia auctoritatis civilis initium sumere potuit, et iam diu est una ex pulcherrimis residentiis Provinciae.

Eodem a. 1921 P. Schn. vi muneris interfuit XII Capitulo generali, in quo erat membrum Commissionis de observantia. Statim post Capitulum in Bavariam se contulit, ante novas nominationes Provinciam G. S. nomine P. Rectoris Maioris visitaturus, sicut postea Provinciam Polonicam.

In dictis nominationibus gubernandum ipse recepit, loco totius Provinciae G. I., collegium Glanerbrücke et a. 1924 collegium Trevirense, ubi in ecclesia publica vitam S. Titularis Iosephi in parietibus pingendam curavit, quamquam a pictore minus perito, cuius picturae deinde ultimo magno bello una cum ipso templo interierunt.

A. 1927 P. Schn. denuo suscepit novitiatus hortum mysticum excolendum, sed per breve tempus; etenim a. 1930 iterum iubetur universae Provinciae naviculam seu potius navem gubernare, id quod illis annis difficillimis, ante et post susceptam dictaturam Hitlerianam, singulari sua prudentia, fortitudine, iustitia caritateque perfecit. Qui nunc in foliis Provinciae *Nachrichten für die Niederdeutsche Ordensprovinz* illas 400 paginas percurrit, secundo Patris Schn. provincialatui dicatas, de quibus eius Secretarius P. Aloisius Mommartz († Treviri 2 Sept. 1945, ergo sexto

die ante Patrem Schn.) praecipue meritis est, facere non potest quin admiretur hunc Superiorem Provinciae, viribus corporis iam debilitatum, et quidem multo magis quam ipse sciebat, atvero caelesti spiritu vigentem, tenacem in conservanda disciplina regulari simulque apertum novae aetatis postulatis, promoventem studia in iuvenatu et studentatu simulque promoventem missiones, etiam in sua nova forma « *Haus- und Kapellenmissionen* ». Ad iuvenatum principalem Bonn alterumque Vaals, colendis vocationibus tardis, addidit tertium in Winterberg Westfaliae. Suum in primo provincialatu praedecessorem P. Adolfum Brors misit Berolinum ad exstruendam ibi novam domum cum ecclesia S. Fundatori dicata. Tandem multorum desiderio satisfecit eo quod a. 1933 sex domus Silesiae et Borussiae orientalis unitae sunt ad constituendam Vice-Provinciam de Breslau.

A. 1932, cum nonnullis Hispaniae locis homines nequam religioni bellum intulissent, P. Schn. studentatui illius Provinciae generose obtulit collegium Glanerbrücke, at revera tali transmigratione opus non erat.

A Septembri 1932 ad finem Ianuarii 1933 P. Provincialis suam fluminis La Plata Vice-Provinciam canonicè visitavit. Hodiedum lectu incuundissimae sunt longae ac vivido fidei spiritu inspiratae litterae, quas ex Buenos Aires 19 Nov. 1932 scripsit et quae nobis conservatae sunt in *Nachrichten*, IV, 1-7.

P. Schn. pro eximio suo in Congregationem amore ineffabili gaudio afficiebatur, cum a. 1933 cum ceteris Provincialibus Romae et Paganis et Scalae nostris sollempniis bis saecularibus interesse poterat ⁽¹⁾, et de his quoque eventibus postea confratribus nonnulla narravit ⁽²⁾.

Sed iam tunc dolentes vidimus dilectum Patrem non iam ferrea illa valetudine gaudere ut antea. Appendicitis acutissima nocte 29 Ian. 1934 fecit vocare chirurgum; sed tunc medicus multa alia mala eaque gravissima invenit: fortem arteriosclerosim, sanguinis pressionem altissimam, albumen, acidum uricum... Die 13 Oct. eiusdem anni nobis scripsit: « Hoc anno iam quinquies id expertus sum quod veram apoplexim praeannuntiat. Pressio sanguinis in ultimis ictibus erat 220. Propterea medicus postulat ut munus meum dimittam. Ora pro me, ut Dei voluntatem fideliter exsequar ».

Officio Provincialis successori P. Iosepho Kreutz transmissio, sexagenarius 25 Oct. 1934 Bonna Luxemburgum proficiscitur, sed statim nosocomium petere debet. Redit domum 18 Novembris, sed ipso Natali Domini muniendus est ultimis sacramentis. Postea, cum melius se habeat, incipit denuo excipere multorum sacerdotum confessiones, qui huius sancti conscientiarum moderatoris auxilia petere non cessant. Ceterum iam annis,

⁽¹⁾ Cfr. *Analecta* XII (1933), 126-146.

⁽²⁾ *Nachrichten* IV, 45-47.

quibus Luxemburgi novitiatum rexerat, fuerat quidam « Poenitentiarius Maior », ut ipse lepide dicebat.

Ingravescente in patria religionis persecutione et orto novo immani bello P. Schn. cum Christo repetere poterat: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Tandem venit infaustus ille dies 12 Martii 1941. « Gestapo » invadit domum nostram Luxemburgensem, eam suppressam declarat omnesque Patres et Fratres Augustam Trevirorum abducit. Antea autem P. Schn. pulcherrimum actum virtutis perficit, quatenus clam ecclesiam intrat ibique omnes sacras species in tabernaculo reconditas consumit, ne profanentur. A P. Provinciali v. Meurers adscribitur primum domui Aquisgranensi, et hac domo iniuste suppressa domui Heiligenstadt, cuius caelum eius valetudini magis conducit.

Tamen 27 Oct. 1941 in nosocomium transferendus est ob gravissimam crism prostaticam. Operationem sollerter perficit quidam Russus orthodoxus valde pius, qui, attentata mali extensione et tanti sanguinis amissione, pluries repetit: « *Der Vater macht uns grosse Sörge* » (pater nos magna sollicitudine afficit)! Re nihilosecius feliciter finita exclamat: « *Der Vater hat einen grossen Glauben* » (patri est magna fides)! Quam vere hoc dixit! Mirum enim fidei robur, sicut in S. Clemente nostro, ita etiam in P. Schn. erat nota characteristica.

Per aliquod tempus carus senex denuo cotidie dicere poterat in sancta cordis laetitia: *Introibo ad altare Dei*, confessiones excipere, Dominica praedicare, immo et cursum exercitiorum spiritualium tradere; sed tunc malum implacabile recrudit. Ultimam Missam celebravit 30 Aug. 1945; post biduum recepit ultima sacramenta, et festo Nativitatis B.M.V. hic cultor Deiparae amantissimus mortalem vitam cum immortali commutavit seu verum suum natalem celebrare potuit.

Non est dubium quin P. Franciscus Schn. fuerit unus ex optimis nostrae familiae filiis, religiosus virtute haud communi, immo heroica praeditus, qui in immediato servitio dilectae Congregationis vires suas plene consumpsit. Progredientibus annis gratia caelestis cor eius, per se aliquatenus ad severitatem proclive, semper magis benignum atque indulgens erga omnes, praesertim erga confratres reddiderat. Ipse qua Provincialis in fine anni solitus erat subditis gratias agere de iis quae pro bono dilecti Instituti egissent; sed vix ullus pro hac nobili causa temporibus maxime arduis maiora sacrificia pertulit quam bonus P. Franciscus Schneider. Sit igitur eius grata memoria semper inter nos viva, ac vivere inter nos pergat eius solida ac vere virilis virtus. Have, pia anima!